

ad Dei *naturam* ipsam applicari possit; est tamen universale, quia ad omnes res non ex se existentes spectat. Dei existentia habet quidem *rationem sufficientem* in natura divina, non vero *causam efficientem*. Confundunt igitur principium rationis sufficientis cum principio causalitatis, quod quidem ex illo datur, sed non tam late patet. — At tunc exhibito principio causalitatis Dei existentia ex rerum existentia probari nequit? Certe, si existentia Dei physice, i. e. in se producenda esset, hoc fieri non posset; sed *cognitio* Dei existentiae *in nobis* producenda est, quod fit mediante principio causalitatis ex cognitione rerum contingentium. Confundunt igitur applicationem huius principii in ordine *ontologico et logico*; in utroque autem valet.

Ex principio causalitatis sequuntur nonnulla axiomata:

1. *Nihil potest esse causa efficiens sui ipsius*; deberet enim, ut causaret, existere, priusquam existat; neque duo possunt sibi invicem esse causa efficiens ex eadem ratione. Quidquid igitur existit, aut est a se et aeternum, aut ab alio productum in tempore.

2. *Omnis effectus in causa continetur*; secus enim non posset ab eo procedere. Hoc nonnulli potivitiae, ut Fouillée<sup>1)</sup>, Wundt<sup>2)</sup> etc. negant, statuentes effectum posse esse perfectiorem sua causa; immo Darwinistae necnon Pantheistae evolutionistici, ut Fichte, Schelling, Hegel, Schopenhauer, aliqui necessario hoc axioma debent negare, ne eorum doctrina sit falsa. Potest autem effectus in causa esse: a) *virtualiter*, et sic semper debet inesse in causa, ut possit inde oriri; b) *formaliter*, si effectus est eiusdem speciei, cuius est causa, e. g. humanitas in patre et filio; c) *eminenter*, quando effectus in causa secundum modum perfectiorem essendi inest; e. g. pictura in mente artificis et in tabula; res in mente divina et in rerum natura.

3. Ex dictis patent etiam axiomata: *Omne agens agit sibi simile*, quia effectus prius erat in causa; seu modus operandi sequitur modum essendi; operari sequitur esse. Item: nullus effectus potest esse perfectior quam causa sua adaequata, et illud Aristotelicum: Propter quod unumquodque tale est, et illud eo magis.

4. *Nullus potest esse casus*, quia esset effectus sine causa.<sup>3)</sup> Casus autem potest considerari respectu *divinae scientiae*, et esset ille effectus, qui de facto non haberet causam efficientem; hic casus vocatur *absolutus* et est prorsus impossibilis<sup>4)</sup>; respectu autem *cognitionis nostrae* potest esse vel effectus, cuius ignoramus causam, vel causa, cuius ignoramus effectum, et hoc modo potest esse casus *relativus*, i. e. effectus per accidens, qui revera habet causam, quae tamen fugit nostram cognitionem. Recte igitur Cicero: „Ignoratio rerum atque causarum fortunae nomen induxit.“

5. *Effectus fieri non potest per causas infinite multas inter se dependentes*<sup>5)</sup>; nam 1<sup>o</sup>: Si actio est materialis indiget, certo, quamvis minimo, tempore; causae autem infinite multae sibi succidentes requirent tempus infinite longum. Atqui tempus infinite longum *actuale* repugnat; nam a) tempus *actuale* infinitum ex momentis finitis sibi additis fieret, quod mathematice repugnat; b) effectus post tempus infinitum tandem producendus nunquam erit, quia

<sup>1)</sup> Didio, l. c. pag. 22. <sup>2)</sup> Gutberlet, Kampf um d. Seele, 1903<sup>2</sup>, pag. 424 sq.; cfr. supra p. 309 sq. <sup>3)</sup> Aristot. Phys. II, 5. Suarez, disputat. metaphys. 19, sect. 12. <sup>4)</sup> S. Thom. S. Theol. I, qu. 116. <sup>5)</sup> Aristoteles, metaph. II, 2.

tempus infinitum nunquam habet finem. Ergo effectus per causas infinite multas inter se dependentes fieri nequit.

2<sup>o</sup> *Ex ratione* (metaphysice repugnat). Omnis effectus requirit causam adaequatam. Atqui quando causae inter se dependent, ita ut una existat per alteram, non esset causa adaequata effectus: a) non in membro aliquo determinato totius seriei, si quidem omnia membra aequo modo respectu effectus se habent, et tunc illud membrum esset causa prima, i. e. initium seriei, quod repugnat seriei *infinitae*, quae nec primum habet neque ultimum; b) neque in *tota serie*, qua tali, esset causa adaequata; nam totum i. e. collectio supponit primum, a quo collectio oriatur; deinde tunc causa quaelibet simul ab effectu suo, saltem ex parte, esset causata, quoniam ille effectus esset etiam causa in et pro tota serie; unde filius posset esse pater patris sui et vice versa. Ideo apparet, aut aliquam primam causam adaequatam admittendam esse ac proinde non esse causas infinite multas; aut dicendum est, effectum non habere causam ullam adaequatam, si quidem neque ulla causa determinata in serie infinita, neque tota series esset causa adaequata. Recte igitur Aristoteles affirmit, si primum non esset, nullam omnino causam esse.<sup>6)</sup> Unde ens a se, primum causans, existat oportet, i. e. Deus.

3<sup>o</sup> *Ex experientia* (physice repugnat): nam experientia physicorum docet, activitates materiales non perfecte communicari sive transformari (Dampfmaschine), e. g. calorem non perfecte aequalē excitare, neque perfecte in motum converti. Quo plures igitur transitiones et transformationes fiunt, eo minor effectus habetur; ac proinde si infinitae essent transformationes in mundo iam factae, diu nullus iam effectus haberet posset, praesertim quum omnes causae in mundo sint finitae. Ergo de facto series infinita causarum materialium in mundo existere nequit, ac proinde mundus non potest esse aeternus. Motus igitur et mundi formatio aliquando coepit. Lex autem inertiae docet, corpora ex se non moveri, sed require determinationem extrinsecam. Ergo causa prima motus in mundo debuit esse causa mundo extrinseca, i. e. supramundana, Deus. (Das Energie- und Entropiegesetz von Clausius). — Ex eadem ratione „perpetuum mobile“ physice impossible erit.<sup>7)</sup>

6. Axioma illud notissimum: *Ex nihilo fit nihil*, verum est, si applicatur ad causam efficientem: Si nulla causa est, nullus potest esse effectus; si vero applicatur ad causam materialem: Si nulla materia adest, nil fieri potest, verum est, si agitur de causa finita; falsum est, si agitur de causa infinita, creante. Eleates abutebantur hoc principio, ut suum Pantheismum statuerent; alii vero: Plato, Atomistae, Materialistae, ut materiam mundi aeternam et incretam esse ostenderent.

## § 2. De causa finali.

1. *Notio*: *Finis late sumptus* est illud, quod aliquid terminat, e. g. termini agri; *stricte sumptus* significat terminum *actionis*, et sic est id, *propter quod aliquid fit*, (τὸ οὗ ἔνεκα)<sup>8)</sup> Iam vero terminus

<sup>1)</sup> Cfr. Metaph. II, 2 (994a). Plato de leg. X, et Phaedr.; S. Thom. S. Theol. I, qu. 7, art. 4. <sup>2)</sup> Cfr. Dühring, Kursus d. Philos., p. 36 et 64; A. Fick, Die Naturkräfte in ihrer Wechselbeziehung, pag. 69 (apud Fischer, Grundproblem der Metaph., p. 59 sq. <sup>3)</sup> Cfr. Arist. Metaph. I, 3; Phys. II, 3 et 7.

actionis est eius obiectum, quod semper est aliquod bonum sive verum sive apparenſ, quia nullum ens potest quidquam sub ratione mali appetere.<sup>1)</sup> Finis igitur semper habet rationem boni respectu operantis, ac proinde causalitas finalis in actu *primo remoto* est bonitas obiectiva principio operanti vere vel appreterer conveniens; *in actu primo proximo* autem est illa bonitas obiectiva actu *apprehensa* simulque natura principii appetentis ita instituta, ut inclinetur et tendat in illam bonitatem apprehensam; ipse autem *actus secundus* est effectus tum causae efficientis tum finalis, sed sub diversa ratione: <sup>2)</sup> *causae efficientis* quoad eius realitatem, *causae finalis* quoad eius specificationem (obiectum).

2. *Natura*: Causa igitur *finalis* differt a causa *efficiente*, quia ante operationem nondum *physice* existit, sed actione ipsa producenda est; differt a causa *moralis*, quia etiam haec *physice* existit; similis est ei, quia intellectum et voluntatem operantis determinat, sed diversa ratione: haec per *suam* bonitatem veram vel apparen-tem, illa per *alterius* rei bonitatem vel obtinendam vel non amitten-dam. Quum igitur causa finalis *physice* non existat ante actionem, oportet existat saltem modo *intentionali*, ut possit habere rationem causae. Est igitur prima in *intentione* et ultima in *executione*. Iam vero hoc modo potest iterum ipsi principio operanti esse *extrinseca*<sup>3)</sup>, si principium agens ab alio intelligenti adhibetur tanquam medium ad finem, e. g. sagitta percutiens hostem; et *intrinseca*, si principium operans ex propria virtute operatur. Haec autem *intrinseca* causalitas est: a) *rationalis*, si sequitur cognitionem intellectualem, ut in homine, qui agit *propter finem*; b) *sensitiva*, si oritur ex sensatione, ut in brutis; c) *naturalis*, si nascitur ex natura rei, quae caret omni cognitione, ut in plantis et rebus anorganicis; haec principia, sicut etiam bruta, dicuntur agere *ad finem*. Quum autem finis et media nequeant apprehendi nisi a causa intelligenti, causa aliqua intelligens supramundana statuenda est, quae rebus, ratione privatis, ten-dentiam in finem indiderit.<sup>4)</sup>

3. *Divisio finis*: a) *Finis qui* (obiectivus, materialis) est ipsum obiectum actionis, i. e. bonum aliquod; et hic finis potest esse *obtinendum vel efficiendum*; *finis cui* est subiectum, cui bonum appetitur; *finis quo* est ipsa possessio obiecti; *finis cui et quo* simul vocantur etiam *finis formalis*.

b) *Finis operis*, qui actioni internus est, e. g. horologium fac-tum ad horas indicandas; *operantis*, qui rei effectae per se internus secus est; horologium factum ad pecuniam lucrandam.

<sup>1)</sup> Opinio enim contraria Occami et aliorum Nominalistarum ab omnibus refutatur; cfr. S. Thom. c. gent. III, c. 3. <sup>2)</sup> Cfr. S. Thom. S. Theol. I, qu. 5, art. 4.

<sup>3)</sup> Cfr. S. Thom. S. Theol. I, II, qu. 1, art. 2. <sup>4)</sup> I. c. I, qu. 19, art. 4. Cfr. E. v. Hartmann apud Drews, p. 839 sq. Trendelenburg, Log. Unters. II, 36 sq.

(c) *Finis operantis est vel proximus*, qui immediate intenditur, e. g. semen spargere ad fructus producendos; vel *remotus*, cui proximus subordinatur, e. g. fructibus venditis pecuniam comparare; vel *ultimus*, cui omnes actiones subordinantur, e. g. fructus et pecunia inde percepta ad familiam sustentandam. Respectu ultimi alii etiam vocantur *fines intermedii*. Ultimus iterum est vel *absolute ultimus*, e. g. Dei honor, vel *relative ultimus*, e. g. felicitas nostra.

4. Cum fine, si est in agente rationali, intime cohaeret: a) conceptus *intentionis*, quae realiter idem significat, quod finis operantis, id quod actione proprie obtainendum est, unde potest vocari quasi forma actionis seu finis formalis, res autem efficienda est quasi finis materialis. b) *Motiva* vero actionis sunt illae rationes diversae bonitatis, quae rei alicui vel intrinsecæ vel extrinsecæ sive superadditæ et accidentales sunt, quibus apprehensis agens determinatur; unde quodammodo rei manifestant bonitatem, ac proinde sunt *conditio necessaria* actionis sive etiam *fines partiales*. c) *Media* sunt res, quae non per se appetuntur, sed ad finem obtainendum adhíbentur, unde habent rationem finis intermedii, quorum ratio tota bonitatis vel malitia, nisi in se sint iam mala, dependet a fine ultimo; *finis igitur specificat media*. Media autem possunt esse vel *necessaria* ad finem simpliciter obtainendum, vel solum *utilia* ad finem perfectius vel facilius obtainendum. Unde axioma illud: *Qui vult finem efficaciter, vult quoque media saltem necessaria*.

##### 5. Cum fine cohaerent conceptus *ordinis* et *legis*.

###### I. *Ordo*.

A. *Notio*: *Ordo* igitur est *parium disparumque rerum sua cuique loca distribuens dispositio*.<sup>1)</sup> Tria igitur ad ordinem constituendum requiruntur: a) *res inter se distinctae*, quae sunt quasi materia ordinis; b) *ratio aliqua* in ipsis rebus, cur possint in ordine constitui; et haec ratio est fundamentum relationis, quod est sive natura rerum, sive earum quantitas et qualitas, sive actio et passio; c) ut sit, qui res secundum illam rationem *disponat*; e. g. libri in bibliotheca ordinati. Patet, ordinem *materialiter* spectatum esse in ipsis rebus ordinatis, *formaliter* autem esse in causa ordinante, i. e. in intellectu et voluntate.

Iam vero si ordo fundatur in rerum natura vel quantitate et qualitate, erit ordo rerum ad *aliquid totum* (Zweckmässige Einrichtung) per se vel per accidens constituendum, e. g. homo ut totum aliquod ex corpore et anima; corpus cum suis membris, anima cum suis virtutibus et actibus; si fundatur actione et passione, erit ordo rerum *ad finem* obtainendum e. g. exercitium artis alicuius (Zielstrebigkeit). Ut *ordo totius* habeatur, necessarium est, ut disponens habeat primum conceptum totius et deinde cognitionem relationum

<sup>1)</sup> August. de civit. Dei I, 19, c. 13.

partium ad totum efficiendum; ut autem *ordo finis* habeatur, oportet disponens concipiatur primum finem et deinde media ad finem obtinendum apta. Patet igitur, ordinem et totius et finis supponere principium intelligens; unde veteres iure affirmant: *Ordo praesupponit causam intelligentem.*<sup>1)</sup>

B. *Divisio*: Ordo potest esse: a) ratione *finis*: *naturalis*, qui habet finem et media naturalia; et *supernaturalis*, qui habet finem et media supernaturalia; b) ratione *fundamenti*: *ordo essentialis* (*naturalis*), qui in rerum natura physica vel metaphysica fundatur; *ordo accidentalis seu positivus*, qui in voluntate divina vel humana fundatur; c) ratione *rerum ordinatarum*: *ordo physicus*, qui res complectitur, in quantum libera voluntate non sunt praeditae; *moralis*, qui homines quoad actiones liberas respectu moralitatis complectitur.

## II. Lex.

A. *Notio*: Conceptus legis primo formatus est ex normis illis, quibus vita hominum et moralis et socialis dirigitur, et sic definitur ordinatio quae-dam rationis ad bonum commune morale sive sociale.<sup>2)</sup> Potest spectari in eo, qui legem constituit, et sic vocatur *lex activa*; et in iis, quibus lex observanda est, et sic vocatur *lex passiva*. Signum potissimum, ex quo legis existentia cognoscitur, est constantia quaedam et uniformitas actionis in subditis. Quum autem etiam in rebus aliis praeter homines: in brutis, plantis, rebus anorganicis, quaedam constantia et uniformitas activitatis appareat conceptus legis ad has res quoque transfertur.

*Lex igitur in genere definitur constans et uniformis modus agendi ad certos effectus producendos*: Lex igitur supponit: a) actiones ac proinde finem aliquem actione obtinendum; b) requirit, ut eadem semper sint actionis obiecta; c) ut modus agendi sit constans et uniformis; alioquin ordo actionum haberi nequit. Ubi igitur est ordo constans actionum, etiam leges vigere necesse est; lex enim ordini actionis superaddit constantiam; in lege porro potest, considerari *subiectum, obiectum, finis*. *Subiectum* est principium agens, quod legem sequitur; *obiectum* est actio, quae secundum legem fit; *finis* est bonum aliquod principio operanti vel aliis obtinendum.

Lex sicut ordo potest considerari *materialiter* et *formaliter*; *materialiter* est in ipsis rebus ad finem ordinatis; *formaliter* vero est in mente, res et actiones ordinante ad finem. Unde si res, quae operando leges certas sequuntur, non sunt causae intelligentes, patet, debere eas a causa intelligenti habere leges operandi, e.g. machina; si vero sunt causae intelligentes, ipsae legem in mente gerunt et libere observant.

B. *Divisio*: Sicut ordo, ita et leges, quae supponunt ordinem finalem, dividuntur: a) ratione *finis* in leges *naturales*, quae ordinis et operationis naturalis sunt normae et bonum naturale concernunt; et *supernaturales*, quae ordinem et operationes supernaturales supponunt; b) ratione *obiecti* in leges *essentialies*, quae ex rerum natura oriuntur; *positivas*, quae operationes rerum accidentales ordinant et Dei vel hominum voluntate libera sunt constitutae; c) ratione *subiecti* legis in *physicas*, quae sunt normae agendi causis non rationalibus; *morales*, quae actiones causarum rationalium ordinare debent.

<sup>1)</sup> Cfr. Plato, Philebus. <sup>2)</sup> Cfr. S. Theol. I, II, qu. 90 tota.

Legibus constituitur *ordo operabilem*, qui supponit *ordinem rerum*, sicut effectus supponit causam.

*Thesis XXXVII: Finis est vera causa, immo omnium prima et praecipua.*

(*St. qu.* Adversantur nobis saltem indirecte omnes qui causas finales in rerum natura esse negant, ut veteres *Atomistae* et omnes *Materialistae*; deinde ii quoque, qui in hominibus quidem causas finales admittunt, negant tamen esse in rebus irrationabilibus, ut multi *Pantheistae* et *Darwinistae*, vel saltem in rebus perscrutandis omittendas esse et negligendas, ut post Baco de Verulam et Cartesium omnes fere *Sensistae* et *Positivistae* censem. Denique illi, qui cum Kant, Schopenhauer aliisque existimant, finem esse categoriam cogitandi ac proinde formam subiectivam, non obiectivam in ipsis rebus, quam tamen sententiam in cosmologia refutabimus. Omnes autem concedunt, saltem in hominum actionibus fines haberi, quod nobis in hac thesi sufficit.)

## I. Est vera causa.

*Prob. 1. Ex conceptu causae*: Causa est principium influxu suo positivo aliquid ad esse determinans. *Atqui* finis a) est verum *principium*; nam est *primum* in intentione, neque quidquam potest saltem a causa rationali fieri, nisi prius obiectum aliquod cognitione proponitur, quod tanquam bonum apprehensum voluntatem ad agendum determinat; b) *influit* in intellectum tanquam verum cognitum, in voluntatem tanquam bonum apprehensum; unde licet non physice moveat, modo tamen *intentionali* determinat; c) determinat aliquid *ad esse*, quia est obiectum, quod cognitum et a voluntate amatum, i.e. in ordine ideali existens determinat causam rationalem ad se ipsum etiam *physice* producendum; finis enim est *ultimum* in executione. *Ergo* finis est vera causa.

(*2. Per exclusionem*: Finis nisi esset causa, quum tamen in efficiendo concurrat, esset vel conditio vel occasio. *Atqui* non est mera *conditio*, quia non solum disponit causam *physicam*, neque applicat ad obiectum, neque removet impedimenta; neque est mera *occasio*, ad cuius praesentiam aliquid fit; sed teste conscientia finis i.e. bonum nobis propositum nos ipsos *determinat* ad operandum, et est illud ipsum, quod est efficiendum, ante actionem in statu possibili sive *intentionali* existens; est enim id propter quod aliquid fit. *Ergo* est vera causa.)

## II. Est causa omnium prima et praecipua.

*Prob. 1. Ex natura causae finalis*: Causa illa omnium prima est et praecipua, quae alias praecedit vel tempore vel natura, in-

fluxu vel dignitate. Atqui causa finalis praecedit alias: a) *tempore vel natura*, quia in intentione prima est; praebet enim obiectum, sine quo nulla facultas operari et determinari potest; b) *praecellit influxu*; nam ex natura obiecti et ex modo quo proponitur, dependet tota operatio causae quoad eius naturam et intensitatem et electionem mediorum, e. g. instrumentorum; c) causa finalis influit in ordine intentionalis ac proinde antecellit causis physicis, saepe materialibus. Ergo causa finalis omnium est prima et praestantissima.<sup>1)</sup>

2. *Ex consensu hominum*: Illa causa est praestantissima, quae homines maxime ad actionem excitat et capaces fortisque reddit. Atqui constat, a) homines, si quid est faciendum, plerumque non causam physicam p[re] oculis habere, sed finalem, et motiva ipsis proponi, cur hoc vel illud faciendum sit, et quo difficilius opus est, eo efficaciora motiva honestatis, utilitatis, iucunditatis eos adhibere, ita ut omnes tandem vincant difficultates, immo dolores et mortem ipsam fortiter perferant. b) Deinde constat, homines, si quid effectum vident, e. g. machinam, horologium, plerumque quaerere, cur hoc factum sit, ad quem finem (finem operis), ad cuius utilitatem (finem operantis proximum vel ultimum); quod si sciunt, se totam rem intelligere putant. Ergo causa finalis prima et praecipua omnium esse videtur quoad opera exercenda.

*Scholion de origine conceptus finis*: 1<sup>o</sup> Certum videtur, conceptum finis immediate formari idque *experientia interna*; patet a) *ex natura causae finalis*: Causa finalis nihil aliud est nisi obiectum operationis mente conceptum, i. e. ante operationem in ordine idealis existens et per suam bonitatem voluntatem alliciens. Atqui obiectum mente conceptum et voluntatem movens est menti praesens ac proinde immediate notum, eiusque influxus in voluntatem per se ipsum nobis patet per experientiam internam. Ergo . . .

b) *Ex testimonio conscientiae*: Actus secundus, i. e. ipsa operatio voluntatis, bonitate obiecti determinata, est effectus causae finalis et specificatur per eam. Atqui actus voluntatis eiusque modus (intensitas, qualitas moralis etc.) nobis immediate refertur per conscientiam. Ergo etiam causa finalis eiusque influxus in voluntatem nostram immediate cognoscitur.

2<sup>o</sup> Si vero quaestio est de principiis operantibus nobis *externis*, quae per *experientiam externam* sese nobis manifestant, dicendum est, nos apprehendere etiam *obiectivam* causalitatem finalem certo, sed, ut videtur, *mediate*, i. e. mediante principio causalitatis sive rationis sufficientis.

a) Nos percipere causas finales *obiective* existentes, patet ex thesi; unde rationem causae finalis non solum per quandam *analogiam* ad causas efficientes externas transferimus, ut volunt Idealistae.<sup>2)</sup>

1) Cfr. Aristot. de anima, I, 3, c. 10; S. Thom. c. gent. I, c. 75, arg. 5.

2) „Der Mensch schaut die Zwecke in die Natur hinein und staunt sein eigenes Wunder an“; sic Kant, Schopenhauer et alii. Contra Plato in Phaed. et Timaeo; Cicero de natura Deorum.

b) Non tamen videtur dicendum, nos causam finalem *immediate* in causis physicis nobis externis percipere: a) *ex natura causae finalis*: nam causa finalis *ut movens* est in ipsa causa physica. Atqui non habemus intuitionem ipsius naturae causae physicae, e. g. hominis, instinctus brutorum, virium physicarum, sed eam ex effectu suo, licet immediate, percipimus. Ergo neque causam finalem, qua moventem, *immediate* in causis externis percipimus. b) *Ex experientia*: Profecto constat, nos saepe res agentes immediate percipere, quin tamen finem operis intelligamus; unde non mirum, quod saepe fallimur, sive in errorem inducimur.

c) *Mediate* tamen certo et facile finem percipimus vi principii causalitatis. Neque enim potest esse effectus sine causa adaequata. Atqui tum ratio tum experientia saepe evidenter docent, causas physicis efficientes ex se prorsus esse indifferentes, immo incapaces ad hunc vel illum effectum producendum, neque ullam in eis inveniri rationem, cur hoc vel illo potius modo operentur, e. g. cur hirundo *hoc* modo nidum efficiat; cur aqua *tot* gradus caloris latentis contineat, cur terra *hoc* modo ad solem disponatur etc. Ergo praeter causas efficientes physicis ex se ad multos effectus capaces requiritur determinatio et directio, ut hunc effectum p[re] aliis producant; quae directio nihil aliud est nisi causa finalis vel principio agenti intrinseca, vel extrinseca superaddita.

Conceptus igitur causae finalis supponit conceptum causae efficientis et principium causalitatis, sed illatione immediata, facili et rudibus quoque hominibus obvia inde deducitur per experientiam tum internam tum externam, eandemque habet necessitatem et universalitatem, quam causa efficientis.

*Obi.* 1. Finis non videtur esse causa, quia causa debet prior sese effectu; dist.: si esset causa efficientis — conc.; causa finalis, subd.: debet prior esse in ordine intentionalis — conc.; in ordine reali, physico — nego.

2. Atqui nullo modo potest praecedere et causare; nam deberet esse causa sui ipsius (Spinoza, Strauss); dist.: causa adaequata — nego; inadaequata, subd.: positive et in ordine physico — nego; logice — conc.

*Coroll.* 1. *Omne agens agit propter finem*: Nam nulla potest fieri operatio sine obiecto. Atqui obiectum nil aliud est nisi finis proximus actionis. Ergo omnis operatio supponit finem. — Neve dicas, tunc omnes causas agentes debere esse rationales. Nam causae agentes possunt vel ex determinatione extrinseca in finem tendere, ut sagitta vel instrumenta; et tunc causa aliqua rationalis finem determinat; vel ex intrinseca determinatione; et tunc vel libere se in finem dirigunt, et sunt causae rationales, vel ex determinatione naturae, et tunc causa aliqua rationalis naturae tendentiam in finem indidit. Et sic probatur, Deum existere, conditorem naturae, qui rebus finem praestituit iisque simul tendentiam illam indidit, ut necessitate naturae in finem ferantur.

2. *Series finium subordinatorum infinita repugnat*: nam a) Causa finalis est prima in intentione et ultima in executione. Atqui series infinita neque primum habet neque ultimum. Ergo non potest esse series infinita finium. b) Deinde fines intermedii respectu ultimi haberent rationem mediorum. Atqui si sunt media infinita percurrenta, non possemus unquam pervenire

ad finem ultimum. Ergo impossibilis est infinita series finium.<sup>1)</sup> — Unde etiam ex hac ratione, sicut ex impossibilitate seriei causarum efficientium infinitae, ut supra, repugnat evolutio mundi aeterna, infinita iuxta sistema Evolutionismi vel Pantheistarum.)

### § 3. De causa exemplari.

1. *Notio:* Constat, homines quotiescumque aliquid operantur, exemplar rei efficiendae primum mente concipere illudque actione imitari, e. g. pictor imaginem pingens. Haec rei forma mente concepta vocatur *causa exemplaris*. Definitur a S. Thoma<sup>2)</sup> „*forma, quam aliquid imitatur ex intentione agentis, qui determinat sibi finem*“. Dicitur *forma*, quia speciem rei efficiendae exhibit. Potest autem distingui exemplar *extrinsecum*, quod est res aliqua imitanda, e. g. homo quoad eius imaginem; et *intrinsecum*, quod est in ipso operante tanquam forma accidentalis, e. g. conceptus atque representatio (*imago*) rei; et sic causa exemplaris dicitur *forma*; est enim conceptus rei efficiendae. Dicitur porro, aliquid ad eius *imitationem fieri*, ut distinguatur a causa formalis, qua res ipsa in se constituitur; dicitur, fieri ex *intentione agentis*, ut effectus per casum excludatur; denique dicitur fieri ab agente, qui *determinat sibi finem*, ut distinguatur a causis naturalibus, quae cognitione rationali et libera voluntate non praeditae, necessitate naturae operantur, e. g. generatio animalium; *imago* hominis in speculo.

2. *Natura:* Quaeritur, in quo consistat causalitas cause exemplaris. a) Constat, causam exemplarem habere rationem propriae causae, si in ipsum effectum producendum influit, neque solum ut occasio vel conditio se habet. Atqui causa exemplaris vere et positive in effectum influit; determinat enim ipsam speciem effectus et modum, quo agens eum producit; e. g. exemplar Minervae in mente Phidiae erat causa, cur Minervae Athenis statuam faceret, non Apollinis, et cur hoc modo formaret. Ergo causa exemplaris est vera causa.

b) Causa exemplaris ut idea rei mente concepta potest considerari *objective* et *subjective*. *Objective* considerata repraesentat rem concrete ut est in se, i. e. cum omnibus suis perfectionibus, et sic causa exemplaris potius spectat ad *rationem practicam seu ad voluntatem*, quam bonitate sua (honestate, iucunditate, utilitate, pulchritudine) allicit. Hoc modo causa exemplaris potest reduci ad causam *finalem* (vel proximam vel ultimam). Si vero *subjective* consideratur, exhibit rem secundum naturam suam abstractam, internam, quae ad rationem speculativam pertinet, i. e. ad intellectum, in qua-

<sup>1)</sup> Cf. Aristoteles, metaph. II, 2; E. v. Hartmann apud Drews, l. c. p. 338 sq.  
<sup>2)</sup> De veritate, qu. 3 art. 1.

tum voluntati obiectum praebet faciendum illudque quasi in speculo exhibet, et hoc modo potest reduci ad causam *formalem extrinsecam*, quae analogice ad causam formalem rei intrinsecam sic vocatur.

c) Ea vero est relatio inter intellectum et voluntatem, ut obiectum intellectu repraesentatum voluntatem ex se non determinatam excitet ad se ipsam determinandam respectu illius obiecti, et sic idea rei mente concepta quodammodo complet et perficit principium operativum homini intrinsecum illudque in *actu proximo* operandi constituit. Hoc tandem modo causa exemplaris reducitur ad causam *efficientem*, quam ex se indifferentem, non determinatam *determinat*, *complet*, *perficit*; et sic *causa exemplaris proprius ut causa ab aliis distincta a Suaresio et S. Thoma consideratur*. Hoc enim modo praestat aliquid ad effectum producendum, quod aliae causae non praestant neque praestare possunt. Convenit cum causa finali, quia modo intentional causat, differt ab ea, quia directe intellectum, non voluntatem informat et determinat. Convenit cum efficiente, quia physice non quidem effectum, sed intellectum determinat ut species rei facienda expressa; differt, quia solum intellectum afficit eum complens atque perficiens, non voluntatem. Neque igitur est adaequate distincta a causa finali et efficiente, sed inter eas quasi intermedia sese habet. Haec tamen causa exemplaris, ut complens et perficiens causam efficientem, non invenitur, ut patet, nisi in agente rationali, quia bruta, plantae, res materiales a natura ad unum determinata sunt.

3. *Necessitas:* Causae exemplares necessario sunt statuenda:

a) *Quoad actiones humanas:* Omnis actio supponit obiectum actionis, modum actionis, principium actionis; debet enim esse ratio, cur actio sit et potius haec quam alia. Atqui neque intellectus neque voluntas humana sunt ex se determinata ad certa obiecta sive ad certum modum, quo obiecta attingant; non enim sunt ideae innatae et voluntas est libera intellectumque supponit. Ergo oportet, ut intellectus et voluntas humana, ex se indiferentes, determinentur obiectis per ideas repraesentatis, ut homines possint operari.

b) *Quoad actiones aliarum rerum:* Omnis actio supponit finem principio agenti vel intrinsecum vel extrinsecum. Atqui si ratio finis agenti est extrinseca, debet esse in alio agente et quidem in agente cognoscente intellectuali, quia finis est primum in intentione e. g. sagitta a venatore in beluum proiecta, machina ab artifice constructa; adest igitur causa exemplaris. Si finis agenti est intrinsecus, ut in brutis, plantis, crystallis etc., quum illa agentia non sint rationalia, causae exemplares non sunt in ipsis, sed in eo, qui eorum naturam condidit eaque ad unum idemque semper faciendum deter-

minavit. Existit igitur intellectus supramundanus omnibus rebus et finem constituens legesque operandi praescribens.

Neve dicas, in rebus ratione destitutis non requiri causas exemplares, solam naturam ita constitutam sufficere ad actiones explicandas. Nam licet ipsa rerum natura sit causa proxima operandi, non tamen est causa ultima et adaequata; recurrit enim semper duplex quaestio: a) Cur illae res agentes potius existunt, quam aliae, quae eodem iure existere possent? b) Cur rerum natura ita instituta est, ut potius hoc modo operentur quam alio, qui aequo possibilis esset; e.g. cur corpora coelestia ratione directa massarum et inversa quadrati distantiarum se attrahunt; cur aqua in glaciem transit certo quodam gradu caloris, emissis 80 caloriis, cur 100 gradibus caloris in vaporem mutatur, absorptis 540 caloriis; sulfur vero 113 gradibus caloris liquevit, absorbens 9 calorias, et 448 gradibus evaporat, absorbens 362 calorias; cur pomus est arbor, trifolium autem herba; cur flores nonnulli insectis indigent ad speciem propagandam, alii ipsi sibi sufficient; cur hirundo ex luto nidum efficit, passer ex palea etc.? Atqui ratio, cur res illae existant et hoc modo operentur, aut est in illis ipsis, aut non. Si est in ipsis, nulla esset ratio, cur non aliae aequo possibilis existerent; cur hoc solum modo operarentur et quidem semper et omnia individua eiusdem speciei; ac proinde omnes res possibilis eodem iure deberent existere et res existentes modis omnibus possibilibus deberent operari, quod et rationi et experientiae repugnat. Ergo ratio et essendi rerum et operandi *ultima et adaequata* non est ipsa rerum natura, sed principium aliquod extrinsecum, supramundanum, infinite intelligens, quod naturam rerum ita instituit ideasque suas exemplares rebus expressit.<sup>1)</sup> Existunt igitur causae exemplares omnium actionum.

#### § 4. De causa materiali et formali.

*Notio:* Videmus, homines arte sua ex substrato aliquo, e.g. ligno, ferro, lapide multa efficere: instrumenta, statuas etc., ita ut substratum sive subiectum per opera artis aliam recipiat formam. Ex hac igitur operatione humana efformati sunt conceptus materiae et formae. *Materia* in genere vocatur subiectum operationis, quod determinationem aliquam recipit; *forma* vocatur nova illa rei determinatio, qua materia affecta in certa specie rerum constituitur.<sup>2)</sup>

##### I. Materia.

1. *Divisio:* *Materia* sensu latiore sumpta potest distingui: *Metaphysica*, quae ut talis per operationem mentis constituitur distincta a forma, cum fundamento tamen perfecto distinctionis in re; sic genera et species sunt materia metaphysica ratione differentiarum, quibus determinantur. *Physica*, quae ut talis in rerum natura existit,

<sup>1)</sup> Cfr. Gutberlet, Metaph.<sup>2</sup> p. 182 sq. <sup>2)</sup> Cfr. Arist. Phys. I, 7—9; Metaph. VII, 7—8. De Wulf, Histoire de la philosophie médiévale, 1905<sup>2</sup>, p. 338 sq.

independenter ab operatione mentis, e.g. marmor statuae. (*Logica*, quae non existit nisi per mentis operationem sine fundamento saltem perfecto in re, e.g. ratio entis per modos essestiales determinanda. *Moralis*, quae sunt actus humani per intentionem bonam vel malam determinandi in specie moralitatis.)

2. Nobis hic non sermo est nisi de materia *physica*. Haec autem iterum distinguitur *proxima* et *remota*: *Proxima*, quae etiam materia *ex qua* vocatur, est illa, quae remanet ex toto in effectu eumque simul cum forma physice constituit, e.g. marmor in statua. *Remota* est, quae in effectum vel nullo modo ingreditur, et vocatur materia *circa quam*, ut phantasma quoad conceptum, peccata in sacramento poenitentiae; vel saltem non ex toto in effectu remanet, et vocatur materia *in qua*, ut lignum in cinere; panis in Ss. Eucharistia. — Nobis hic potius *materia physica proxima ex qua* est consideranda.

Haec igitur *materia* definitur ab Aristotele „*id ex quo aliquid fit ut inexistente.*“<sup>1)</sup> (Dicitur *aliquid fit*, quia ad rationem causae requiritur, ut aliquid novi aliquo modo a causa distinctum efficiatur; dicitur *ex quo*, quia materia ipsa non producit effectum, sicut causa efficiens, sed tanquam pars essentialis eum intrinsecus constituit;) dicitur *ut inexistente*, ut distinguatur haec *materia physica proxima* sive *ex qua* a *materia remota* sive *in qua*, sive *circa quam*, quae vel nullo modo, vel non ex toto in effectu permanet.

3. Haec autem *materia physica proxima* iterum dividitur in *materiam primam* et *secundam*. *Materia secunda* est quaevis substantia corporea in aliqua specie naturali existens sive elementaris, e.g. ferrum, aurum; sive composita, e.g. aqua; haec est subiectum omnis mutationis *accidentalis*. (Omnis *materia remota* et *materia in qua* semper est *materia secunda*). *Materia autem prima* (Ὥλη) opponitur *secundae*, et est illa, quae omni caret determinatione sive accidentalali sive specifica, unde ab Aristotele vocatur „*nec quid nec quale nec quantum* neque aliud quidpiam, quibus ens determinatur“.<sup>2)</sup> Neque igitur confundenda est cum quadam massa corporea informi, e.g. rupe, quae est iam *materia secunda* in specie lapidis constituta; neque cum elementis primitivis, i.e. moleculis sive atomis, ex quibus physici corpora vel physice vel chimice constare arbitrantur; nam haec elementa, e.g. oxygenii, hydrogenii sunt iam in specie corporis constituta seu *materia secunda*. *Materia igitur prima* caret omni determinatione<sup>3)</sup> ac proinde per se existere nequit; potest tamen

<sup>1)</sup> Metaph. V, c. 2—3. <sup>2)</sup> Metaph. VII, c. 3. <sup>3)</sup> Cfr. Platonem in Timaeo (49—52) describentem materiam „*omni figura et forma immunem, quamlibet tamen formam suscipientem.*“ Vide quae S. August. pulchre de hac re scribit: Confess. XII, 3—6; de Genes. ad litt. I, c. 15.

quamlibet formam recipere, unde habet *physicam* realitatem, est potentia *subjectiva*, qua possit esse pars corporis *substantialis*.

Definitur igitur ab Aristotele: *Primum cuiusque corporis subiectum, ex quo insito aliquid fit, non per accidens, et in quod, si quid interit, ultimum abit.*<sup>1)</sup> Dicitur *primum subiectum*, ut a materia secunda distinguatur; additur: *ex quo insito*, ut a causis extrinsecis secernatur; unde patet, semper esse materiam proximam ex qua; *non per accidens*, quia materia prima est aliquid *substantiale*, licet incompletum et per se non existens, et constituit cum forma unum corpus per se naturale; denique dicitur: *in quod ultimum abit*, ut ab elementis corporis mixti distinguatur.

## II. Forma.

1. *Forma* in genere distinguitur a) *physica*, *metaphysica*, *moralis*, *logica*. *Logica* est quaecunque determinatio per mentem effecta, e. g. *differentia specifica*; *moralis* est determinatio voluntate formata, e. g. *verba in Sacramentis*; *sensus verborum*; *moralitas actionum*; *metaphysica* est essentia rerum abstracte considerata, e. g. *humanitas in homine*; *physica* est proprie forma, e. g. *anima*, et est determinatio realis materiae, ab ea realiter distincta; nobis haec forma *physica* sola est tractanda; vocatur ab Aristotele: εἰδος, μορφή, ἐντελέχεια.

2. Haec igitur *causa formalis physica* in genere definitur *principium intrinsecus per suam communicationem rem determinans*. Vocabatur *principium*, ut eius causalitas realis significetur; unde non habet solum influxum logicum, sicut *differentia specifica ratione generis*; dicitur *intrinsece rem determinare*, ut a forma mere extrinseca (*relatione*) vel *metaphysica* vel etiam *mori* distinguitur, e. g. esse honoratum, *humanitas ratione hominis*; honestas vel malitia in actu humano; dicitur determinare per *communicationem sui*, ut distinguantur a causa efficiente, finali et exemplari, quae aliquid a se distinctum producunt.

3. Haec autem *forma physica* iterum est vel *substantialis* vel *accidentalis*. *Accidentalis* est determinatio *physica* *materiae secundae*, quae sensu proprio res *materiales* designat, e. g. *arbor magna*, *sedes lignea*; sensu autem *latiore* animam quoque sive spiritum comprehendit, e. g. *sapientia in angelo*. *Substantialis* autem forma est illa, quae *materiam primam* determinat ad esse *primum* in quadam specie corporis *naturalis*.

Quam S. Thomas ita describit: „*Substantialis* autem forma in hoc a forma *accidentali* differt, quod forma *accidentalis* non dat esse simpliciter, sed esse *tale*, sicut calor facit suum *subiectum* non simpliciter esse, sed esse calidum.

<sup>1)</sup> Physic. I, 9.

Et ideo quum advenit forma *accidentalis*, non dicitur aliquid fieri vel generari simpliciter, sed fieri tale aut aliquo modo se habens. Et similiter cum recedit forma *accidentalis*, non dicitur aliquid corrupti simpliciter, sed secundum quid. Forma autem *substantialis* dat esse simpliciter. Et ideo per huius adventum dicitur aliquid simpliciter generari et per eius recessum simpliciter corrupti.<sup>2)</sup>

4. Forma *substantialis* iterum dividitur in *inhaerentem* (non *subsistentem*) cum *subiecto* peritum, sicut est in *brutis*, *plantis* et a fortiori in *anorganicis*, et *informantem* (*subsistentem*), quae est *anima humana immortalis*; additur forma *separata* in *angelis*, quae tamen, quum nullam ad *materiam* habeat relationem, solum analogice et improprie vocatur forma.)

## III. Compositum ex materia et forma.

1. Materia igitur et forma simul unita, non per modum mutuae effectio, sed *communicationis* corpus *naturale*, i. e. *materiam secundam* constituunt, sicut forma *statuae* cum marmore unita opus artis format. Neque forma per se sine *materia* producitur, sed ex potentia *materiae primae* educitur, non quasi actu ibi lateat, sed quia *materia apta* est ad formam recipiendam et in eius productione concurrit tanquam *subiectum* causae efficientis effectum in se suscipiens et sustentans, sicut forma *statuae* ex marmore *subiecto* educitur, i. e. efficaciter concurrente marmore ut *subiecto actionis*. Neque ideo eductio formae *substantialis*, licet sit *substantia incompleta*, est *creatio*, quia requirit *subiectum*, in quo fiat. Plato in *Timaeo* et post ipsum Aristoteles<sup>2)</sup> comparat *materiam primam* cum *matre*, *formam substantialiem* cum *patre*, quarum coniunctione *compositum ex materia et forma* tanquam *foetus nascatur*. Advertendum autem est, *compositum* non adaequate distingui a *forma et materia*, sed ex utraque parte coalescere: ex *materia* tanquam parte determinanda, ex *forma* tanquam parte determinante. Ex quo patet, *formam habere partem principalem* in *composito*, quare Aristoteles eam vocat quoddam „*divinum, optimum et appetibile*“. Est enim „*actus primus materiae*“, sive *substantia incompleta*, quae *materiam primam in specie quadam corporis naturalis constituit*.<sup>3)</sup>

2. *Causalitas*: Causa *materialis* et *formalis* habent veram rationem causae, quia positivo influxu effectum a se distinctum producunt: a) *influxus est positivus*, quia effectus *physice* constituitur ex *materia* ut parte determinanda et *subiecto inhaesione* sive *informa-*

<sup>1)</sup> S. Thom. S. Theol. I, qu. 76, a. 4; porro opusc. 32 de *natura materiae* et opusc. 21 de *principiis naturae*. <sup>2)</sup> Phys. I, 9; cfr. comment. S. Thom. lect. 15. <sup>3)</sup> Cfr. Kleutgen, Philos. d. Vorzeit, II, 2. Hptst.

tionis, et forma ut parte determinante, quae cum materia informata corpus physicum constituit.

b) *Effectus est a causa distinctus*, quia tum materia tum forma realiter, licet inadaequate, a toto distinguitur, sicut anima et corpus ab homine toto realiter, licet inadaequate, differunt; et potest esse *haec* materia *sine hac* forma et vice versa, sicut marmor potest esse *sine forma imperatoris* et corpus *sine anima*.)

#### IV. Existenciae causae materialis et formalis.

1. Nemo negat, corpora e. g. lapides, ligna etc. diversas posse recipere formas accidentales, e. g. statuae, instrumenta, supellectile, domus etc.; quin etiam anima diversis afficitur habitibus et passionibus, quae novum modum existendi accidentalem ei conferunt. Atqui in his mutationibus materia secunda sive anima permanet eadem, recipit tamen aliam determinationem accidentalem, quae est forma accidentalis. Ergo existunt in rebus naturalibus causae materiales et formales, saltem *accidentales*.

2. Quaeritur, num existant etiam materia *prima* et forma *substantialis* in sensu scholasticorum. (Ex tempore Platonis et Aristotelis res naturales et praesertim corpora organica composita esse ex materia prima et forma substantiali, erat sententia communissima. Ex scholasticis forte solus Scotus, quamvis sententiam communem in hac quaestione sequeretur, corpus non compositum ex materia et forma *non repugnare* docuit.) Suarez testatur: „Est hoc dogma ita receptum in philosophia, ut sine magna ignorantia id negari non possit; estque ita consentaneum veritati fidei christiana, ut eius certitudo non parum inde augeatur.“<sup>1)</sup> Neque sententia scholasticorum experimentis certis scientiae naturalis repugnare videtur. — Sed de hac quaestione vide, quae in cosmologia de corporum constitutione dicentur.

#### Liber tertius: De perfectione entis.

##### Caput I: De perfectione in genere.

1. *Notio: Perfectum* dicitur, cui nihil deest eorum, quae ei debent inesse, ut sit ens completum. Potest autem ens aliquod considerari vel secundum totam suam realitatem vel secundum partes, et sic distinguitur perfectum *totale* et *partiale*.

<sup>1)</sup> Cfr. Suarez, Disp. metaphys. 15. n. 5.

2. *Divisio: Perfectum totale*, quod secundum totam suam realitatem est completum, potest esse:

A *Ratione subiecti*: a) *absolute perfectum*, quod omnes habet perfectiones, neque plus habere potest, unde non admittit gradus; opponitur ei totum *negative imperfectum*, quod caret ulteriore perfectione non debita, sicut omne ens finitum.

b) *Relative perfectum*, quod certum gradum perfectionis in se continet; admittit igitur gradus tum *extensive*, quoad alias rerum species, tum *intensive*, quoad alia individua vel quoad se ipsum alio tempore. Opponitur ei *privative imperfectum*, quod caret aliqua perfectione debita.

B. *Ratione status sive naturae*: a) *perfectum totale secundum esse vel essentiale vel integrale*; opponitur ei *imperfectio privativa*, quia, quae rem secundum *esse* deficiunt, ei debentur, e. g. anima sine corpore; corpus sine aliquo membro.

b) *Secundum statum accidentalem*, qui rei non semper debetur; unde opposita *imperfectio* potest esse *negativa*, sicut *ignorantia* in infante; et *privativa*, sicut *ignorantia* in discipulo.

c) *Secundum finem*, si res *omnia* habet, quae ad finem eam disponunt; opposita *imperfectio* potest esse tum *negativa*, si *perfectio* deficiens ratione finis non est necessaria, sicut *paupertas* in homine quoad vitam aeternam; tum *privativa*, si *perfectio* deficiens est necessaria ad finem, sicut *defectus virtutis* in homine.

3. *Perfectio partialis*, quae rem secundum suam partem perficit, dicitur a) *simplex*, si „ipsa est melior quam non ipsa“, ut S. Anselmus exponit, i. e. si nullam per se includit *imperfectionem* ac proinde nullam ex subiecto excludit aliam *perfectionem*, e. g. esse, vita, intelligere, velle etc.; et vocatur *simpliciter simplex*, si etiam modus, quo illa *perfectio* habetur, est *perfectus*, sicut vivere, intelligere, velle, esse in Deo.

b) *Mixta* vocatur *perfectio*, quae „non est melior ipsa quam non ipsa“ (Anselmus), i. e. quae aliquam *imperfectionem* in se includit sive *negativam* e. g. *corpus*, sive *privativam* e. g. *actus poenitentiae*; et sic etiam *perfectiones simplices*, quae in nobis sunt, si *modus* earum *imperfectus* consideratur, possunt vocari *perfectiones mixtae*.

4. *Modus*: *Perfectio et totalis et partialis* potest in aliqua re inesse:

a) *Formaliter*, si inest secundum rationem specificam, e. g. esse *creatum in rebus finitis*.

b) *Virtualiter*, si inest secundum virtutem, e. g. esse *creatum in divina omnipotentia*.

c) *Eminenter*, si inest in subiecto modo *perfectiore*, e. g. esse in Deo modo *imparticipato*.)